

§. XI.

Amplius actiones eae tantum imputantur, in quibus producendis libera concurrat voluntas. Quapropter eis qui libera destituuntur voluntate, nulla imputatur actio. Inde omnium coactarum quas inuitas diximus actionum nulla est imputatio. Contra aliquam imputationem in reliquis coactis actionibus esse, vel inde apparet, quod semper aliqua voluntatis in iis determinatio concurrat.

- *) Ita saltem plerumque philosophantur Stoici, et ita sentire videtur mihi TREVERVS ad *Pufendorf. de O. H. et C. L. I. Cap. I. §. 24. n. 1.* At vero et ipse addit; *Ceterum cum de hominis imbecillitate et perturbatione, quae mali alicuius repraesentationem sequi solet, aperte constet, et subiectum cogens in culpa sit, quod homo in istam perturbationem incidat; in foro humano eiusmodi actiones plerumque non imputantur: in foro tamen diuino non item.* Quodsi vero rem paululum accuratius respicimus, tamen aliqua dubitatio oritur. Fac quod exemplum excitauit TREVERVS, hominem mortis metu cogi ad DEVM detestandum. Cum summum primumque omnium moralium obligationum sit praeceptum *de Se conseruando*, neque